

Mater, more aliarum mulierum, licet id, quod vtero gestavit, a Spiritu S. exceperit. Luc. I, 35. 42. Ε. Θεό-
 πνευστοι Scriptores in describenda Messiae natiuitate vul-
 gato pariendi (τίκτειν & γεννᾶν) verbo vtuntur, idque sine
 dubio nullam aliam ob causam, quam vt ostendatur,
 non quærenda esse in Natiuitate Christi ipsa, extraordi-
 naria quædam miracula, sed partum hunc fuisse partum
 ab accidentibus consuetis minime diuersum, adeoque Mariæ
 parienti vsu venisse ea, quæ in partu fieri, & partum a-
 lias comitari solent. γ) Dicitur IESVS C. ex (ἐκ) Ma-
 ria natus, quæ particula veram humanæ naturæ com-
 municationem infert, Matth. I, 16. δ) v. 25 appellatur
 Christus υἱὸς ἀνθρώπου: Quæ omnia de veritate humane Chri-
 sti naturæ, pariter referenda sunt ad Officium Christi,
 implendum pro nobis hominibus, 1 Tim. II, 5. 6. coll. III,
 16. Luc. II, 5. 14. II. XI, 27. seq. Ies. IX, 6. Ebr. II, 14. 1 Cor.
 XV, 21. Gal. IV, 4. seq.

4.) Fidelibus sub V. Fœdere annunciatus fuit.

Neminem hoc latere potest, nisi qui oculos pertina-
 citer ad lumen Vaticiniorum illustrium claudit: Inpri-
 mis e nostro Iesaja id constat, Cap. VII, 14. quod euici-
 mus in Exegefi, & infra contra Iudæos, Socinianos, ali-
 osque defendemus. α) Ex Scopo Vaticinii, qui est, colla-
 psæ, & ferale exitium iamiam subituræ domui David, &
 signum promittere restitutionis, & EVM IPSVM per
 quem illa restitutio spiritualis & corporalis fieri debeat.
 β) Ex nomine IMMANVEL, qui nec homo, nec DEVS
 tantum, sed HOMO-DEVS foret; cum quo coniun-
 genda sunt alia Vaticinia, Ies. IX, 6. 7. quo illustrissime de-
 scribitur, itemq; Cap. XI, &c. Rom. 9, 5. Quid? quod Mi-